

I. I. U.

II

1053

L

N. IORGA

TEXTES HISTORIQUES  
:: DU MOYEN-ÂGE ::

DESTINÉS AUX ÉTUDIANTS



PARIS

DÉPÔT À LA LIBRAIRIE J. GAMBER, 6 RUE DANTON

1933

N. IORGA

TEXTES HISTORIQUES  
:: DU MOYEN-ÂGE ::

DESTINÉS AUX ÉTUDIANTS



PARIS

DÉPÔT À LA LIBRAIRIE J. GAMBER, 6 RUE DANTON

1933





Pour ce recueil de textes auquel aucune note n'a été ajoutée je dois une explication.

Il a été destiné à mes élèves de la Faculté de Lettres de Bucarest, dans un double but : les mettre devant la réalité historique la plus vivante, celle qui est présentée par les contemporains, et leur donner une matière à interpréter, pour le moment dans le seul domaine des récits, en attendant la collection de documents qui sera ajoutée à un vade-mecum de chronologie, de paléographie et de diplomatique qui est en préparation.

J'ai indiqué à Mme Virginie Sacerdoțeanu, assistante de mon cours d'histoire, les sources et les passages qui doivent être copiés pour cette collection et je lui dois pour le travail fait avec discernement tous mes remerciements.

Pour le grec, j'ai voulu donner, jusqu'à une anthologie et chrestomatie byzantines que j'ai en vue seulement des indications dans ces trois domaines : la vie de saint, le récit populaire en langue parlée et la chronique des lettrés.

J'espère que ce modeste essai trouvera aussi l'assentiment de mes collègues de l'étranger qui voudront bien le mettre entre les mains de leurs étudiants.

N. IORGA.

---

## TEXTES

---

### I.

Marcellinus Comes, *Chronicon* (450-76) <sup>1</sup>.

III. *Valentiniani VII et Avieni* <sup>2</sup>.

Theodosius imperator vivendi finem fecit: regnavit post mortem Arcadii, patris sui, annos XLII. Loco eius Marcianus imperium adeptus est.

Chrysafius eunuchus Pulcheriae, Theodosii sororis, nutu suo cum avaritia interemptus est.

IV. *Marciani Augusti et Adelfii* <sup>3</sup>.

Leone pontifice sedem beati Petri regente, sexcentorum triginta patrum sancta et universalis synodus contra Eutychentem, nefandissimorum praesulem monachorum, apud Calchedonam, in basilica Sanctae Eufemiae, firmata est: solus Dioscorus, alexandrinae ecclesiae episcopus, dissensit statimque ab iisdem catholicis patribus sacerdotio abdicatus est.

V. *Sporacii et Herculanii*.

Marcianus Augustus suis statuit decretis ut hi qui consules fieri cupiebant nihil aeris in populum spargerent

---

<sup>1</sup> *Monumenta Germaniae historica, Auctores Antiquissimi*, XI, pp. 83-9.

<sup>2</sup> Consulatu.

<sup>3</sup> V. notam 1.



sed statutam pecuniam ad reparandum urbis aquae ductum dependerent.

Hoc tempore tres magni lapides e caelo in Thracia ceciderunt.

Aquileia civitas ab Attila, Hunnorum rege, excisa est.

### VI. *Vincomali et Opilionis.*

(453.) Iohannes praecursor Domini et Baptista caput suum, quod olim Herodias impia nefandaque postulatione ab umeris amputatum et in disco positum accepit proculque a truncato eius corpore sepelivit, duobus orientalibus monachis ob adorandam apud Hierosolimam Christi domini resurrectionem introeuntibus revelavit, ut, ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes, ammoniti requirerent, fideliter humo extollerent. Hoc ergo caput fide repertum suaque hispida in mantica conditum dum, ad propria remeantes habitacula, pervehunt, quidam emetzenae figulus civitatis, diutinam imminentemque sibi fugiens paupertatem, sese his exhibuit comitem; quique dum nescius peram sibi creditam cum sacro capite portat, ab eo cuius caput vehebat noctu ammonitus, utrumque comitem fugiens dereliquit statimque emetzenam urbem cum sancto levique onere introgressus est, ibique dum adiunxit, praecursoris Christi veneratus est caput moriensque sorori suae, rerum nesciae, signatum in vasculo tradidit recolendum. Illa vero successori suo repositum signatumque ut erat dereliquit. Porro Eustochius quidam, occultus arrianae fidei presbyter, talem tantumque thesaurum indignus obtinuit gratiamque quam Christus dominus per Iohannem Baptistam infirmo populo tribuebat, is eam acsi suam dumtaxat in vulgo disseminabat. Hinc, pravitate sua detectus, emetzena civitate expulsus est. Hoc deinde antrum, in quo beatissimi Iohannis caput in urnam missum sub terraque reconditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere coeperunt. Marcellus demum, presbyter totiusque monasterii praesul, dum in eodem specu vita inreprehensibili habitat, idem beatus Iohannes Christi praecursor sese eidem suumque ostendit caput, ibidemque sepultum multis praefulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput sub Uranio, memoratae episcopo civitatis, per Marcellum praefatum presbyterum constat inventum Vincomalo et Opilione consulibus, mense februa-

rio, die vicesimo quarto, media ieiuniorum paschalium septimana, imperatoribus vero Valentiniano et Marciano regnantibus.

Pulcheria Augusta, Marciani principis uxor, Beati Laurentii atrium inimitabili opere consummavit beatumque vivendi finem fecit.

#### VII. *Aëtii et Studii.*

(454.) Attila, rex Hunnorum, Europae orbator provinciae, noctu mulieris manu cultroque confoditur. Quidam vero sanguinis reiectione necatum perhibent. Aëtius, magna occidentalis reipublicae salus et regi Attilae terror, a Valentiniano imperatore cum Boëthio amico in palatio trucidatur; atque cum ipso hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.

#### VIII. *Valentiniani VIII et Anthemii.*

(455.) Valentinianus princeps dolo Maximi patricii, cuius etiam fraude Aëtius perierat, in campo martio per Optilam et Thraustilam, Aëtii satellites, iam percusso Heraclio spadone, truncatus est.

Idem Maximus invasit imperium tertioque tyrannidis suae mense membratim Romae a Romanis discerptus est.

Gizericus, rex Vandalorum, ab Eudoxia, Valentiniani uxore, epistulis invitatus, ex Africa Romam ingressus est, eaque urbe rebus omnibus spoliata, eandem Eudoxiam, cum duabus filiabus, secum rediens, abduxit.

#### IX. *Varanae et Johannis.*

(456.) His consulibus innumera lucustarum agmina fructum Phrygiae vastaverunt.

Eucherius, lugdunensis ecclesiae pontifex, multa scripsit, tam ecclesiasticis quam monasticis studiis necessaria.

#### X. *Constantini et Rufi.*

(457.) Marcianus imperator, bonis principibus comparandus, vitae spiritum amisit. Imperavit annos sex, menses sex. Leo eidem defuncto successit.

Cuius voluntate Maiorianus aput Ravennam Caesar est ordinatus.



XI. *Leonis Aug. et Maioriani.*

(458.) Leo imperator pro tomo calchedonense per universum orbem singulis orthodoxorum episcopis singulas consonantesque misit epistulas, quo sibi quid de eodem tomo sentirent cuncti suis rescriptionibus indicarent. Horum omnium episcoporum ita conspirantes suscepit epistulas, ut eas putares uno tempore uniusque viri eloquio fuisse dictatas.

XII. *Patricii et Ricimeris.*

(459.) Isaac, antiochenae ecclesiae presbyter, scripsit syro sermone multa praecipuaque adversus Nestorianos et Eutychanos. Ruinam etiam Antiochiae elego carmine planxit, quemammodum Ephrem diaconus Nicomediae lapsum.

XIII. *Apollonii et Magni.*

(460.) Cyzicus, civitas terrae motu concussa murorumque suorum ambitu interrupto, sese suosque diu deplanxit.

XIV. *Dagalaifi et Severini.*

(461.) Romanae ecclesiae Hilarus, quadragesimus quartus pontifex factus, vixit annos sex.

Maiorianus Caesar apud Dertonam, iuxta fluvium qui Hira dicitur interemptus. Locum eius Severus invasit.

XV. *Leonis Aug. II solius.*

(462.) Iacobus, natione Achivus, religione paganus, medicinae artis peritia tam ingenio quam litteratura perclaruit. Hic ob medendum Leonem Augustum, febre defatigatum, sacrum palatii cubiculum, vocatus, intravit statimque in sella iuxta torum imperialem posita sine ullo Augusti nutu consedit, sicque medicas adhibuit manus. Porro, meridie ad eundem sacrum pulvinar reversus, sublatus sui propter solium in quo matutinus resederat protinus intellexit spondamque tori regiam intrepidus supersedit, veterumque studii sui repertorum praeceptionibus monitum id sese gessisse, non temere praesumpsisse aegrotantem docuit principem.

XI. *Viviani et Felicis.*

(463.) Prosper, homo aquitanicae regionis sermone scholasticus et adsertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Epistulae quoque papae Leonis adversus Euthychem de vera Christi incarnatione ad diversos datae ab isto dictatae creduntur.

XII. *Rusticii et Olybrii.*

(464.) Beorgor, rex Halanorum, a Ricimere rege occiditur.

XIII. *Basilisci et Armenarici.*

(465.) Constantinopolis, magno invasa incendio facieque foedata, deplanxit.

Severus, qui Occidentis arripuit principatum, Romae interiit.

XIV. *Leonis Aug. III solius.*

(466.) Theodoritus, episcopus Cyri civitatis, scripsit de incarnatione Domini adversus Eutychem presbyterum et Dioscorum, Alexandriae episcopum, qui humanam in Christo carnem fuisse denegant.

XV. *Pusaei et Iohannis.*

(467.) Leo imperator Anthemium patricium Romam misit imperatoremque constituit.

Romanae ecclesiae Simplicius, quadragesimus quintus pontifex creatus, vixit annos quindecim.

Ravennam civitatem terrae motus deterruit.

XVI. *Anthemii Aug. II solius.*

(468.) Marcellinus, Occidentis patricius idemque paganus, dum Romanis contra Vandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus.

XVII. *Zenonis et Marciani.*

(469.) His consulibus caput Denzicis, Hunnorum regis, Attilae filii, Constantinopolim adlatum est.



XVIII. *Iordanis et Severi.*

(470.) Gennadius, constantinopolitanae ecclesiae pontifex, Danihelem prophetam ex integro ad verbum commentatus est et homilias multas composuit.

XIX. *Leonis Aug. III et Probiani.*

(471.) Aspar, primus patriciorum, cum Ardabure et Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem caesare generoque Leonis principis appellato, arrianus cum arriana prole, spadonum ensibus in palatio vulneratus, interiit.

XX. *Marciani et Festi.*

(472.) Vesuvius, mons Campaniae torridus, intestinis ignibus aestuans, exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europae faciem minuto contextit pulvere. Huius metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant VIII idus novemb.

Anthemius imperator Romae a Recimero, genero suo, occiditur. Loco eius Olybrius substitutus, septimo mense imperii sui vita defunctus est.

In Asia aliquantae civitates vel oppida terrae motu conlapsa sunt.

XXI. *Leonis Aug. V solius.*

(473.) Glicerius apud Ravennam plus praesumptione quam electione caesar factus est.

Constantinopoli, seditione in circo orta, multi Isaurorum a populo interempti sunt.

XXII. *Leonis Iunioris solius.*

(474.) Leo senior imperator, Leone iuniore a se iam caesare constituto, morbo periit, tam sui imperii annis quam huius Leonis regni mensibus computatis annis decem et septem, mensibus sex. Zenonem Leo iunior imperator idemque filius principem regni constituit.

Glycerius caesar, Romae imperium tenens, a Nepote, Marcellini quondam patricii sororis filio, imperio expulsus in portu urbis Romae ex caesare episcopus ordinatus est et obiit.

XIII. *Zenonis Augusti II solius.*

(475.) Zeno imperator, Verinae, socrus suae, et Basilisci, fratris eius, insidiis circumventus, cum Ariagne, uxore sua, profugus in Isauriam tetendit. Regnum Zenonis Basiliscus tyrannus invasit.

Nepos, qui Glycerium regno pepulerat, Romae elevatus est imperator. Nepote, Orestes, profinus effugato, Augustulum, filium suum, in imperium conlocavit.

XXIV. *Basilisci et Armati.*

(476.) Basiliscus tyrannus Marco, filio suo caesare facto, dum, contra fidem catholicam nestoriana perfidia intumescens, conatur adsurgere, ante inlatus crepuit quam paenitens stare potuerit. Basiliscus, cum filio suo et cum Zenonida, uxore sua, iam Zenone pristinum ad imperium remeante, in exilium missus est atque in oppidulo quod Limnis in provincia Cappadociae dicitur trusus, fame extabuit.

Odoacer, rex Gothorum, Romam optinuit. Orestem Odoacer ilico trucidavit. Augustulum, filium Orestis, Odoacer in lucullano Campaniae castello exilii poena damnavit. Hesperium Romanae gentis imperium, quod septingentesimo nono urbis conditae anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere coepit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni imperatorum quingentesimo vigesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

## II.

Cassiodorus. *Variae epistulae* <sup>1</sup>.XXIV. *Tribunis Maritimorum senator PPO.*

Data pridem iussione censuimus ut Histria vini, olei vel tritici species, quarum praesenti anno copia indulta perfrujtur, ad ravennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed vos, Veneti, qui numerosa navigia in eius confinio possidetis, pari devotionis gratia providete ut quod illa parata est tradere, vos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utrisque gratia perfectionis, quando unum ex his dissociatum impleri non permittit effectum. Estote ergo

<sup>1</sup> *Ibid.*, pp. 979-80.





promptissimi ad vicina, qui saepe spatia transmittitis infinita. Per hospitia quodammodo vestra discurritis, qui per patriam navigatis. Accedit etiam commodis vestris quod vobis aliud iter aperitur perpetua securitate tranquillum. Nam, cum ventis saevientibus mare fuerit clausum, via vobis panditur per amoenissima fluviorum. Carinae vestrae flatus asperos non pavescunt, terram cum summa felicitate contingunt et perire nesciunt quae frequenter impingunt. Putantur eminus quasi per prata ferri, cum eorum contingit alveum non videri. Tractae funibus ambulant, quae stare rudentibus consuerunt et condicione mutata pedibus iuvant homines naves suas: vectrices sine labore trahunt et pro favore velorum utuntur passu prosperiore nautarum.

Iuvat referre quemadmodum habitationes vestras sitas esse perspeximus. Venetiae praedicabiles quondam plenae nobilibus ab austro Ravennam Padumque contingunt, ab Oriente iucunditate ionii litoris perfruuntur, ubi alternus aestus egrediens modo claudit, modo aperit faciem reciproca inundatione camporum. Hic vobis aquatilium avium more domus est. Nam qui nunc terrestris, modo cernitur insularis, ut illic magis aestimes esse Cycladas, ubi subito locorum facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine per aequora longe patentia domicilia videntur sparsa, quae natura protulit, sed hominum cura fundavit.

Viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic soliditas aggregatur et marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi, scilicet quando vadorum litus moles eicere nescit undarum et sine viribus fertur quod altitudinis auxilio non iuvatur. Habitatibus igitur una copia est, ut solis piscibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus sub aequalitate convivit. Unus cibus omnes reficit, habitatio similis universa concludit, nesciunt de penatibus invidere et, sub hac mensura degentes, evadunt vitium cui mundum esse constat obnoxium.

In salinis autem exercendis tota contentio est: pro falcibus cylindros volvitis; inde vobis fructus omnis enascitur, quando in ipsis et quae non facitis possidetis.

Moneta illic quodammodo percutitur victualis. Arti vestrae omnis fluctus addictus est. Potest aurum aliquis minus quaerere; nemo est qui salem non desideret invenire; merito, quando isti debet omnis cibus quod potest esse gratissimus.

Proinde naves, quas more animalium vestris parietibus illigatis, diligenti cura reficite, ut, cum vos vir experientissimus Laurentius, qui ad procurandas species directus est, commonere temptaverit, festinetis excurrere quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris compendium vobis eligere potestis itineris.

## III.

Iordanes, De origine actibusque Gothorum <sup>1</sup>.

Theoderico vero gentis suae regem audiens ordinato, imperator Zeno grate suscepit, eique evocatoria destinata, ad se in urbe venire precepit, dignoque suscipiens honore, inter proceres sui palatii conlocavit, et post aliquod tempus ad ampliandum honorem eius in arma sibi eum filium adoptavit de suisque stipendiis triumphum in urbe donavit. Factusque consul ordinarius, quod summum bonum primumque in mundo decus edicitur, nec tantum hoc, sed etiam et equestrem statuam ad famam tanti viri ante regiam palatii conlocavit. Inter haec ergo Theodoricus, Zenonis imperio foedere sociatus, dum ipse in urbe omnibus bonis frueretur gentemque suam in Illyrico, ut diximus, residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suae labore quaerere victum quam ipse otiose frui regni romani bona et gentem suam mediocriter victitare. Secumque deliberans, ad principem ait: „quamvis nihil deest nobis imperio vestro famulantibus, tamen, si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat“. Cumque ei, ut solebat, familiariter facultas fuisset loquendi concessa: „Hesperia“, inquit, „plaga, quae dudum decessorum praedecessorumque vestrorum regimine gubernata est et urbs illa, caput orbis et domina, quare nunc sub regis Thorcilingorum Rogorumque tyrranide fluctatur? Dirige me cum gente mea, si praecipis, ut et hic expensarum pondere careas et ibi, si, adiutus a Domino, vicero, fama vestrae pietatis inradiet. Expediat namque ut ego, qui sum servus vester et filius, si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam, haud ille, quem non nostis, tyrannico iugo senatum vestrum partemque reipublicae

<sup>1</sup> *Ibid.*, pp. 132-4.



captivitatis servitio premat. Ego enim, si vicero, dono vestroque munere possidebo; si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, immo, ut diximus, lucratur expensas. Quo audito, quamvis aegre ferret imperator discessum eius, nolens tamen eum contristare, annuit quae poscebat, magnisque ditatum muneribus dimisit a se, senatum populumque ei commendans romanum.

Igitur, egressus urbe regia Theodoricus et ad suos revertens, omnem gentem Gothorum, qui tamen ei prae buerunt consensum, Hesperiam tendit, rectoque itinere per Sirmis ascendit vicina Pannoniae, indeque Venetiarum fines ingressus, ad Pontem Sontii nuncupatum castra metatus est. Cumque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorumque aliquanto tempore resedisset, Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille, ad campos veronenses occurrens, magna strage delevit castraque soluta finibus Italiae cum potiore audacia intrat, transactoque Pado amne ad Ravennam, regiam urbem, castra componit, tertio fere miliario ab urbe, locus qui appellatur Pineta. Quod cernens Odoacer, intus se in urbe communit indeque subreptive noctu frequenter cum suis egrediens, Gothorum exercitum inquietat, et hoc non semel, nec iterum, sed frequenter, et pene molitur toto triennio. Sed frustra laborat, quia cuncta Italia dominum iam dicebat Theodoricum et illius ad nutum res illa publica obsecundabat. Tantum ille solus cum paucis satellitibus et romanis, qui aderant, et fame et bello cotidie intra Ravennam laborabat.

Quod dum nihil proficeret, missa legatione veniam supplicat. Cui et primum concedens Theodoricus, postmodum ab hac luce privavit, tertioque, ut diximus, anno ingressus sui in Italia Zenonisque imperatoris consultu, privatum habitum suaeque gentis vestitum seponens, insignem regium amictum, quasi iam Gothorum Romanorumque regnator, adsumit missaque legatione ad Lodoin, Francorum regem, filiam eius, Audelledam, sibi in matrimonio petit. Quam ille grate libenterque concessit suosque filios Celdebertum et Heldebertum et Thiudebertum, credens hac societate cum gente Gothorum inito foedere sociari. Sed non adeo ad pacis concordiam profuit ista coniunctio, quia saepenumero propter Gallorum terras graviter inter se decertati sunt, numquamque Gothus Francis cessit, dum viveret Theodoricus.

## IV.

Paulus diaconus, *Historia Longobardorum* <sup>1</sup>.

Qui rex <sup>2</sup>, postquam in Italia tres annos et sex menses regnavit, insidiis suae coniugis interemptus est. Causa autem interfectionis eius fuit: cum in convivio ultra quam oportuerat apud Veronam laetus resideret, cum poculo quod de capite Cunimundi regis sui soceri fecerat reginae ad bibendum vinum dari praecepit atque eam ut cum patre suo laetetur invitavit. Hoc ne cui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor: ego hoc poculum vidi in quodam die festo Ratchis principem ut illud convivis suis ostentaret manu tenentem. Igitur Rosemunda, ubi rem animadvertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compescere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura, exarsit, consiliumque mox cum Helmechis, qui regis *scilpor*, hoc est armiger, et conlactaneus erat, ut regem interficeret, iniit. Qui reginae persuasit ut ipse Peredeo, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium adsciret. Peredeo cum reginae suadenti tanti nefas consensum adhibere nollet, illa se noctu in lectulo suae vestiariae, cum qua Peredeo stupri consuetudinem habebat, supposuit; ubi Peredeo, rem nescius, veniens, cum regina concubuit. Cumque illa, patrato iam scelere, ab ea quaereret quam se esse existimaret, et ipse nomen suae amicae, quam esse putabat, nominasset, regina subiunxit: „Nequaquam ut putas, sed ego Rosemunda sum“ inquit. „Certe nunc talem rem, Peredeo, perpetrata habes, ut aut tu Alboin interficies, aut ipse te suo gladio extinguet“. Tunc ille intellexit malum quod fecit, et qui sponte noluerat, tali modo in regis necem coactus adsensit. Tunc Rosemunda, dum se Alboin in meridie sopori dedisset, magnum in palatio silentium fieri praeciens, omnia alia arma subtrahens, spatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut evaginari possit, fortiter conligavit, et iuxta consilium Peredeo Helmechis interfectorem, omni bestia crudelior, introduxit. Alboin, subito de sopore experrectus, malum quod imminabat intelligens, manum citius ad spatham porrexit; quam

<sup>1</sup> *Ibid.*, *Scriptores rerum longobardicarum et italicarum*, I, pp. 87-9.

<sup>2</sup> Alboinus.



strictius religatam abstrahere non valens, adprehenso tamen scabello subpedaneo, se cum eo per aliquod spatium defendit. Sed, heu, proh dolor!, vir bellicosissimus et summae audaciae, nihil contra hostem praevalens, quasi unus de inertibus interfectus est uniusque mulierculae consilio periit qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit. Cuius corpus cum maximo Longobardorum fletu et lamentis sub cuiusdam scalae ascensu quae palatio erat contigua sepultum est. Fuit autem statura procerus et ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Huius tumulum nostris in diebus Giselpert, qui dux Veronensium fuerat, aperiens, spatham eius et siquid in ornatu ipsius inventum fuerat abstulit. Qui se ob hanc causam, vanitate solita apud indoctos homines, Alboin vidisse iactabat.

## V.

Liber pontificalis<sup>1</sup>.

Eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum, ut Datus, episcopus civitatis mediolanae, relatio ipsius, hoc evidenter narravit, eo quod in partes Lyguriae mulieres filios suos comedissent penurie famis; de quas retulit ecclesiae suae fuisse ex familia. Eodem tempore ambulavit patricius Vilisarius Neapolim, ordinavit eam et postmodum venit Romam. Qui susceptus est a domno Silverio benigne, et abiit Vilisarius patricius in Palatio Pinciano V id. mai, indictione XV. Tunc erat Vigilius diaconus apocrisarius in Constantinopolim. Dolens autem Augusta pro Anthemo patriarcha, quod depositus fuisset a sanctissimo Agapito papa, quod hereticum eum reperisset et in locum eius constituisset Menam servum Dei, tunc Augustus, consilium usus cum Vigilium diaconum, misit epistolas suas Romae Silverio papae, rogans et obsecrans: „Ne pigriteris ad nos venire aut certe revoca Anthemum in locum suum“. Qui dum legisset, beatus Silverius, litteras, ingemuit et dixit: „Modo scio quia hanc causam finem vitae meae adduxit“. Sed beatissimus Silverius, fiduciam habens in Deo et beato Petro apostolo, rescripsit Augustae: „Domina Augusta, ego res istas facturus nunquam ero ut revocem hominem hereticum in sua nequitia damnatum“.

<sup>1</sup> Éd. Mommsen, *Mon. Germ. Hist.*, 1898, pp. 145-7.

Tunc indignata Augusta misit iussiones ad Vilisarium patricium per Vigilium diaconem, ita continentes: „Vide aliquas occasiones in Silverium papam et depone illum ab episcopatum aut certe festinus trans mitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium, archidiaconum et apocrisarium nostrum karissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthemum patriarcham“. Et tunc suscepit iussionem Vilisarius patricius, dixit: „Quidem ego iussionem facio; sed ille qui interest in nece Silverii papae ipse reddat rationem factis suis domino nostro Iesu Christo“. Et, urgente iussione, exierunt quidam falsi testes qui et dixerunt quia „nos vicibus invenimus Silverium papam scripta mittentem ad regem Gothorum: «Veni ad portam qui appellatur Asinariam iuxta Lateranis, et civitatem tibi trado et Vilisarium patricium».“ Quod audiens Vilisarius patricius non credebat; sciebat enim, quod per invidiam hoc de eo dicebantur. Sed, dum multi iis eadem accusationem persisterent, pertimuit.

Tunc fecit beatum Silverium papam venire ad se in palatium Pincis et ad primum et ad secundum velum retinuit omnem clerum. Quo ingresso, Silverius cum Vigilio soli in mosileo, Antonina patricia iacebat in lecto et Vilisarius patricius sedebat ad pedes eius. Et, dum eum vidisset Antonina patricia, dixit ad eum: „Dic, domine Silveri papa, quid fecimus tibi et Romanis, ut tu velis nos in manus Gothorum tradere?“. Adhuc ea loquente, ingressus Iohannis, subdiaconus regionarius primae regionis, tullit pallium de collo eius et duxit in cubiculum; expolians eum, induit eum vestem monachicam et abscondit eum. Tunc Xystus, subdiaconus regionarius regionis sextae, videns eum iam monachum, egressus foras, nuntiavit ad clerum, dicens quia domnus papa depositus est et factus est monachus. Qui audientes fugierunt omnes. Quem suscepit Vigilius archidiaconus in sua quasi fide et misit eum in exilio in Pontias et sustentavit eum panem tribulationis et aqua angustiae. Qui deficiens mortuus est et confessor factus est. Qui et sepultus in eodem loco XII kal. iul., ibique occurrunt multitudo male habentes, et salvantur.



**Gregorius, episcopus turonensis, Historia Francorum<sup>1</sup>.**

Regina vero non cessabat praedicare ut Deum verum cognosceret et idola neglegerit. Sed nullo modo ad haec credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur, in quo compulsus est confiteri necessitate quod prius voluntate negaverat. Factum est autem ut, confligente utroque exercitu, vehementer caederentur, atque exercitus Chlodovechi valde ad internationem ruere coepit. Quod ille videns, elevatis ad caelum oculis, compunctus corde, commotus in lacrimis, ait: „Iesu Christe, quem Chrochildis praedicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuae opis gloriam devotus efflagito, ut, si mihi victoriam super hos hostes indulseris, et expertus fuero illam virtutem quam de te populus tuo nomine dicatus probasse praedicat, credam tibi et in nomine tuo baptizer. Invocavi enim deos meos, sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo; unde credo eos nullius esse praeditos potestatis, qui sibi oboedientibus non occurrunt. Te nunc invoco, tibi credere desidero, tantum ut eruar ab adversariis meis“. Cumque haec diceret, Alamanni, terga vertentes, in fugam lapsi coeperunt. Cumque regem suum cernerent interemptum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes: „Ne amplius quaesumus pereat populus, iam tui sumus“. At ille, prohibito bello, cohortato populo, cum pace regressus, narravit reginae qualiter per invocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere. Actum anno 15 regni sui.

Tunc regina accessire clam Sanctum Remigium, remensis urbis episcopum, iubet, depraecans ut regni verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos accessitum secretius coepit ei insinuare ut Deum verum, factorem caeli ac terrae, crederit, idola neglegerit, quae neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait: „Libenter te, sanctissime pater, audiebam; sed restat unum, quod populus, qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos; sed vado et loquor eis iuxta verbum tuum“. Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, praecurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit: „Morta-

<sup>1</sup> *Scriptores rerum merovingicarum*, I, pp. 91-3.

les Deos abigimus, pie rex, et Deum quem Remigius praedicat immortalem sequi parati sumus". Nuntiantur haec antistiti, qui, gaudio magno repletus, iussit lavacrum praeparari. Velis depictis adumbrantur plateae, ecclesiae curtinis albensibus adornantur, baptisterium componitur, balsama difunduntur, micant flagrantem odorem cerei, totumque templum baptisterii divino respergeretur ab odore, talemque sibi gratiam adstantibus Deus tribuit ut aestimarent se paradisi odoribus collocari. Rex ergo prior poposcit se a pontifice baptizare. Procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus leprae veteris morbum sordentesque maculas gestas antiquitus recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum sanctus Dei sic infit ore facundo: „Mitis depone colla, Sigamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti“. Erat autem Sanctus Remigius episcopus egregiae scientiae et rhetoricis ad primum imbutus studiis, sed et sanctitate ita praelatus ut Silvestri virtutibus equaretur. Est enim nunc liber vitae eius qui eum narrat mortuum suscitasse.

Igitur rex, omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti delibutusque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi. De exercito vero eius baptizati sunt amplius tria millia. Baptizata est et soror eius Albofledis, quae non post multum tempus migravit ad Dominum. Pro qua cum rex contristaretur, Sanctus Remigius consolatoriam misit epistolam, quae hoc modo sumpsit exordium: „Angit me et satis me angit vestrae causa tristitiae, quod bonae memoriae germana vestra transiit, Albofledis. Sed consolare possumus, quia talis de hoc mundo migravit ut suspici magis debeat quam lugere“. Conversa est enim et alia soror eius, Lantchildis nomine, quae in haeresim Arrianorum dilapsa fuerat, quae, confessa aequalem Filium Patri et Spiritum sanctum, chrismata est.

## VII.

Einhardus, Vita Karoli imperatoris <sup>1</sup>.

Testamenta facere instituit, quibus filias et ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi heredes faceret, sed, tarde inchoata, perfici non poterant. Divisionem tamen thesau-

<sup>1</sup> *Mon. Germ. Hist., Scriptores*, II, pp. 460-3.



rorum et pecuniae ac vestium aliaeque suppeltilis coram amicis et ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit, contestatus eos ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret; quidque ex his quae diviserat fieri vellet, breviario comprehendit, cuius ratio ac textus talis est:

„In nomine Domini Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Descriptio atque divisio quae facta est a gloriosissimo atque piissimo domno Karolo imperatore augusto, anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi 811, anno vero regni eius in Francia 43 et in Italia 37, imperii autem 11, indictione 4, quam pia et prudenti consideratione facere decrevit et Domino annuente perfecit, de thesauris suis atque pecunia quae in illa die in camera eius inventa est. In qua illud praecipue praecavere voluit ut non solum elemosinarum largitio, quae solemniter apud christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione, sed etiam ut heredes sui, omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet, liquido cognoscere et sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere potuissent. Hac igitur intentione atque proposito omnem substantiam atque supellectilem suam, quae in auro et argento gemmisque et ornatu regio in illa, ut dictum est, die in camera eius poterat inveniri, primo quidem trina divisione partitus est, deinde, easdem partes subdividendo, de duabus partibus viginti et unam partem fecit, tertiam integram reservavit. Et duarum quidem partium in viginti et unam partem facta divisio tali ratione consistit, ut, quia in regno illius metropolitanae civitates viginti et una esse noscuntur, unaquaeque illarum partium ad unamquamque metropolim per manus heredum et amicorum suorum elemosinae nomine perveniat, et archiepiscopus qui tunc illius ecclesiae rector extiterit, partem quae ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suae sit ecclesiae, duae vero partes inter suffraganeos dividantur. Harum divisionum, quae ex duabus primis partibus factae sunt, et iuxta metropoleorum civitatem numerum viginti et una esse noscuntur, unaquaeque, ab altero sequestrata, semotim in suo reposito, cum superscriptione civitatis ad quam perferenda est, recondita iacet. Nomina metropoleorum ad quas eadem elemosina sive largitio



facienda est, haec sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Iuvavum, quae et Salzburg, Treveris, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Unius autem partis, quam integram reservari voluit, talis est ratio, ut, illis duabus in supradictas divisiones distributis et sub sigillo reconditis, haec tertia in usu cotidiano versaretur, velut res quam nulla voti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret, et hoc tamdiu quoadusque vel ille mansisset in corpore, vel usum eius sibi necessarium indicaret. Post obitum vero suum aut voluntariam saecularium rerum carentiam, eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur, et una quidem earum supradictis viginti et unae partibus adderetur; altera, a filiis ac filiabus suis filiisque ac filiabus filiorum suorum adsumpta, iusta et rationabili inter eos partitione divideretur; tertia vero consueto christianis more in usum pauperum fuisset erogata; quarta simili modo nomine elemosinae in servorum et ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summae portionem, quae similiter ut ceterae ex auro et argento constat, adiungi voluit omnia ex aere et ferro aliisque metallis vasa atque utensilia cum armis et vestibus alioque, aut pretioso aut vili, ad varios usus facto suppellectili, ut sunt cortinae, stragula, tapetia, filtra, coria, sagmata et quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inventum, ut ex hoc maiores illius partis divisiones fierent et erogatio elemosinae ad plures pervenire potuisset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregavit, quam quod ad eum ex paterna hereditate pervenit, ut integrum esset, neque ulla divisione scinderetur ordinavit. Si qua autem invenirentur, aut vasa aut libri aut alia ornamenta, quae liquido constaret eidem capellae ab eo conlata non fuisse, haec qui habere vellet, dato iustae aestimationis praetio, emeret et haberet. Similiter et de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit ut ab his qui eos habere vellent iusto pretio fuissent redempti praetiumque in pauperibus erogatum. Inter caeteros thesauros atque pecunias tres mensas argenteas e auream unam praecipuae magnitudinis et ponderis esse constat. De quibus statuit atque decrevit ut una ex



his, quae forma quadrangula, descriptionem urbis constantinopolitanae continet, inter cetera donaria quae ad hoc deputata sunt, Romam, ad basilicam Beati Petri Apostoli, deferatur, et altera, quae, forma rotunda, romanae urbis effigie decorata est, episcopo ravennatis ecclesiae conferatur. Tertiam, quae caeteris et operis pulchritudine et ponderis gravitate multum excellit, quae, ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur, et auream illam, quae quarta esse dicta est, inter heredes suos atque in elemosinam dividendae partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis, abbatibus comitibusque qui tunc praesentes esse potuerunt quorumque hic nomina descripta sunt fecit atque constituit. Episcopi: Hildebaldus, Ricolfus, Arno, Wolfarius, Bernoin, Laidradus, Iohannes, Theodulfus, Iesse, Heito, Waltgandus. Abbates: Fredugisus, Adalung, Engelbertus, Irmino. Comites: Walacho, Meginherus, Otulfus, Stephanus, Unruochus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Rihwinus, Edo, Ercangarius, Geroldus, Bero, Hildigerus, Rocculfus.

Haec omnia filius eius Hluduvicus, qui divina ei iussione successit, inspecto eodem breviario, quam celerrime poterat, post obitum eius summa cum devotione adimplere curavit.

## VIII.

Gerbertus, Epistolae <sup>1</sup>.

† [983.] Domino suo O [thoni], Caesari semper augusto quondam, liber.

Dum regnorum publica perpendo negotia, serenissimi domini mei aures propriis occupare expavesco. Loquatur dominus meus servo suo propriis epistolis solito more, ut eius servitutis fiat exhibitio. Tollatur ambiguitas epistolarum, quae Caesaris nostri gravitatem saepe nobis comperitam, ac gentibus cognitam, non repraesentant. Denique signum erit nobis vos velle aut nolle, sententia prolata: „Bene“, aut: „Non bene“. Quantum enim in nobis est, quod possibile est esse, consequens est nos perficere, si vestrum cognoverimus velle. Dicat domnus Gerbertus

<sup>1</sup> Julien Havet, *Lettres de Gerbert*, Paris, 1889, „Collection de textes pour servir à l'étude et l'enseignement de l'histoire“, pp. 1-2.

episcopus sententiam nostrae innocentiae super Broningo et Isimbardo. Dicant Litefredus et Gerardus cur eorum beneficium perceperit Rodulfus. Non dicatur maiestatis reus, cui pro Caesare stare semper fuit gloria, contra Caesarem ignominia.

## IX.

**Epistola I Stephani, comitis carnotensis, ad Adelam, uxorem suam (1097)**

Stephanus comes Adelaecomitissae, dulcissimae amicae, uxori suae, quicquid mens sua melius aut benignius excogitare potest.

Notum sit dilectioni tuae, Romaniam me cum omni honore omnique corporea sospitate iter beatum tenere. Vitae meae ac peregrinationis seriem a Constantinopoli litteratorie tibi mandare curavi, sed, ne legato illi aliquod infortunium contigerit, tibi has rescribo litteras.

Ad urbem Constantinopolim cum ingenti gaudio, Dei gratia, perveni. Imperator vero digne et honeste et quasi filium suum me diligentissime suscepit et amplissimis ac pretiosissimis donis ditavit, et in toto Dei exercitu et nostro non esset dux, neque comes, neque aliqua potens persona cui magis credat vel faveat quam mihi. Vere, mi dilecta, eius imperialis dignitas persaepe monuit et monet ut unum ex filiis nostris ei commendemus, ipse vero tantum tamque praeclarum honorem se ei attributurum promisit, quod nostro minime invidet. In veritate tibi dico: hodie talis vivens homo non est sub caelo. Ipse enim omnes principes nostros largissime ditat, milites cunctos donis relevat, pauperes omnes dapibus recreat. Prope Nicaeam civitatem est castrum, nomine Civitot, iuxta quod maris currit brachium, per quod naves propriae pii imperatoris die noctuque usque Constantinopolim currunt, quae inde pauperum cibos ad castrum ferunt, qui eis innumeris cottidie distribuntur. Nostris quoque temporibus, ut nobis videtur, non fuit princeps universa morum honestate adeo praeclarus. Pater, mi dilecta, tuus multa et magna dedit, sed ad hunc paene nihil fuit. Haec parva de eo tibi scribere dilexi, ut paululum quis esset cognosceres.

Post dies vero X, per quos me secum venerabilissime



habuit, ab eo quasi a patre discessi, ipse vero mihi naves praecepit praeparari, per quas tranquillum maris brachium, quod eandem circumdat urbem, citissime transivi. Quidam illud constantinopolitanum maris brachium saevum ac periculosum dicebant, quod falsum est, nam in eo plus quam in Marna vel Sequana minime dubitandum est. Inde ad aliud, quod Sancti Georgii Brachium dicitur, venimus. Illud quidem, quia navium copiam reperire minime potuimus, adscensu superavimus. Ad Nicomediam urbem desolatam a Turcis, in qua beatus martyr Pantaleon pro Christo passus est, ubi praedictum maris brachium caput et finem habet, iter nostrum direximus. Deinde ad maximam urbem Nicaeam, Deum benedicentes, cucurrimus. Nicaeam autem, mi dilecta, plus quam CCC altae turres cum muris mirificis claudunt.

Turcos in ea audaces pugnatores invenimus, ubi infinitum Dei exercitum iam per IV septimanas cum Nicaenis mortiferum conflictum habere repperimus. Solimannus, Turcorum princeps, paulo antequam nos ad exercitum venissemus, cum magno exercitu in nostros, paratus ad bellum, subito inruerat, aestimans se quodam impetu posse inrumpere in urbem, ut subveniret suis; quae prava intentio aliter quam putavit, Dei misericordia, evenit. Nostri autem, velocissime parati, Turcos animis ferocibus receperunt; qui, statim, vertentes terga, se in fugam omnes dederunt. Nostri, eos acerrime insequentes, multos de eis interfecerunt et, per magnum spatium terrae vulnerando, occidendo eos fugarunt et, nisi essent ardui montes nostris ignoti, eadem die in magnum et immedicabile damnum corruissent. De nostris omnibus nemo tunc periit, sed postea noster communis magnus exercitus, multos acerrimosque congressus exercens, cum ballistis et arcubus multos ex Turcis, et de maioribus, interfecit. De nostris quidam occisi sunt, sed vere non multi; nominativus miles nullus, nisi flandrensis Balduinus comes de Ganz. Videntes igitur Deo digni principes nostri Nicaeam, adeo, ut praediximus, turrigeratam, armis tantum non posse superari, ligneas altissimas turres cum propugnaculis et diversis instrumentis grandi labore construxere. Quod Turci adspicientes, timore subacti, urbem imperatori per nuntios reddidere, ea condicione ut nudos de civitate eis liceret per conductum exire et vivi in imperatoris vinculis haberentur.

Quod audiens venerabilis imperator, ad nos usque prope pervenit, in suam autem Nicaeam intrare minime audens, ne eum infinita populorum turba, quem tanquam patrem pium venerabatur, exultando comprimeret. In marina quadam insula sua prope nos secessit, ad quem omnes principes nostri praeter me et comitem S. Aegidii cucurrerunt ut cum eo de tanta victoria congratularentur, quos omnes nimio, ut debuit, adfectu recepit. Et, quia ne casu superveniret civitati et exercitui nostro inimicissima Turcorum turba, me remansisse ad urbem audivit, gavisus est valde; altius vero atque laetius quod tunc remansi ipse recepit quasi aureum montem ei dedissem. In eadem, qua manebat, insula magnus imperator de spoliis Nicaeae urbis sic ordinavit pretiosiora, ut scilicet aurum, gemmas, argentum, pallia, equos et huiuscemodi, milites habeant, omnia vero victualia pedibus distribuantur; principes cunctos de propriis thesauris suis se ditaturos disposuit.

Sicut praediximus, Deo triumphante, reddita est maxima Nicaea XIII kal. Iulii. Legitur in primitiva ecclesia sanctos patres apud Nicaeam sanctam synodum celebrasse et ibi, ariana haeresi destructa, Sanctae Trinitatis fidem, Spiritu sancto docente, eos confirmasse. Et quae, peccatis postea exigentibus, facta fuerat magistra erroris, nunc, Deo propitiante, per peccatores servos suos facta est discipula veritatis.

Dico tibi, mi dilecta, quia de saepedicta Nicaea usque Hierusalem V septimanas perveniemus, nisi Antiochia obstiterit nobis. Vale.

## X.

### Historia primi belli sacri, ab anonymo scripta <sup>1</sup>.

Erat quidam ammiratus de genere Turcorum, cui nomen Pirrus, qui maximam amicitiam receperat cum Boamundo. Hunc saepe Boamundus pulsabat nuntiis adinvicem missis quo eum infra civitatem amicissime reciperet, eique christianitatem liberius promittebat et eum se divitem facturum cum multo honore mandabat. Consensit ille dictis et promissionibus, dicens: „Tres turres custodio

<sup>1</sup> *Histoire anonyme de la première croisade, éditée et traduite par Louis Bréhier, pp. 100-110.*



eique libenter ipsas promitto et quacunq̄ue hora voluerit in eas eum recolligam“.

Erat itaque Boamundus iam securus de introitu civitatis et gavisus serenaque mente et placido vultu venit ad omnes seniores eisque iocunda verba intulit, dicens: „Viri prudentissimi, milites, videte quomodo nos omnes in nimia paupertate et miseria sumus, maiores sive minores, et ignoramus penitus qua parte melius succedat nobis; igitur, si vobis bonum et honestum videtur, eligat se ante alios unus ex nobis et, si aliquo modo vel ingenio civitatem acquirere vel ingeniare potuerit, per se vel per alios, concordī voce ei urbem concedamus.“ Qui omnino prohibuerunt et denegaverunt, dicentes: „Nemini dimittetur hec civitas, sed omnes aequaliter habebimus illam; sicut aequalem habuimus laborem, sic inde aequalem habeamus honorem“. Itaque Boamundus, auditis his verbis, paulominus subridens protinus recessit.

Non multo post audivimus nuntios de exercitu hostium nostrorum, Turcorum, Publicanorum, Azimitarum et aliarum plurimarum nationum, statimque adunaverunt se omnes maiores simul tenueruntque concilium, dicentes quoniam, „si Boamundus potuerit acquirere civitatem, aut per se, aut per alios, nos una libenti corde ultro ei donamus, eo tenore ut, si imperator venerit nobis in adiutorium et omnem conventionem nobis, sicut promisit et iuravit, attendere voluerit, nos ei eam iure reddemus; sin autem, Boamundus eam in sua habeat potestate“.

Mox itaque Boamundus cepit humiliter amicum suum cotidiana deprecari petitione, promittendo humillima, maxima et dulcia in hunc modum: „Ecce vere modo tempus habemus idoneum in quo possumus operari quicquid boni volumus; ergo adiuvet me nunc amicus meus Pirrus“. Qui, satis gavisus, ait se illum adiuvarē omnino sicut agere deberet. Nocte itaque veniente proxima, misit filium suum caute, pignus Boamundo, ut securior fieret de introitu urbis, misitque ei verba in hunc modum ut in crastinum omnem Francorum gentem summoveri faciat et quasi Saracenorum terram depredari vadat dissimulet ac deinde celeriter revertatur per dextram montanam. „Ego vero“, ait, „ero intentione erecta, praestolans illa agmina eaque recipiam in turres quas in mea habeo potestate ac custodia“.

Dein Boamundus iussit celeriter ad se vocari quendam

servientem suum, videlicet Malam Coronam, eique precepit ut quasi prece commoneret Francorum maximam gentem quatinus fideliter prepararet se in Saracenorum ituram terram; factumque est ita. Credidit itaque Boamundus hoc consilium duci Godefrido et flandrensi comiti, comiti quoque de Sancto Egidio atque podiensi episcopo, dicens quia, favente Dei gratia, hac nocte tradetur nobis Antiochia.

Ordinata sunt denique haec omnia: milites tenuerunt plana et pedites montaneam; tota nocte ambulaverunt et equitaverunt usque prope auroram ac deinceps ceperunt appropinquare ad turres quas ille pervigil custodiebat. Confestim descendit Boamundus et praecepit omnibus dicens: „Ite securo animo et felici concordia et ascendite per scalam in Antiochiam, quam statim habebimus, si Deo placet, in nostra custodia“. Venerunt illi usque ad scalam, quae iam erat erecta et fortiter ligata ad civitatis moenia, et ascenderunt per illam homines fere LX ex nostris ac divisi sunt per turres quas ille custodiebat. Videns hoc Pirrus quod tam pauci ascendissent ex nostris, cepit pavere, timens sibi et nostris ne in manus Turcorum inciderent, dixitque: „*Micro Francos echome*<sup>1</sup> (hoc est: paucos Francos habemus). Ubi est acerrimus Boamundus? Ubi est ille invictus?“. Interim descendit quidam serviens langobardus deorsum et cucurrit quantocius ad Boamundus, dicens: „Quid hic stas, vir prudens? Quamobrem huc venisti? Ecce nos iam tres turres habemus!“. Motus est ille cum aliis, et omnes gaudentes pervenerunt ad scalam.

Videntes itaque qui iam erant in turribus ceperunt iocunda voce clamare: „Deus le volt!“. Nos vero idem clamabamus. Tunc ceperunt illico mirabiliter ascendere; ascenderunt tamen et cucurrerunt festinanter in alias turres; quos illic inveniebant morti tradebant, fratrem quoque Pirri occiderunt. Interea forte rupta est scala per quam noster erat ascensus, unde inter nos orta est immensa angustia et tristitia. Quamquam autem scala fuisset fracta, tamen quaedam porta erat iuxta nos clausa in sinistra parte, quae quibusdam manebat incognita; nox namque erat, sed tamen palpando et inquirendo invenimus eam, omnesque cucurrimus ad illam et, ipsa fracta, intravimus per eam.

<sup>1</sup> Μικρὸν Φράγκους ἔχομε.



Tunc innumerabilis fragor mirabiliter resonabat per totam urbem. Non adquevit Boamundus his, sed illico imperavit honorabile vexillum deferri sursum coram castello in quodam monte; omnes vero pariter stridebant in civitate. Summo autem diluculo audientes illi qui foris erant in tentoriis vehementissimum rumorem strepere per civitatem, exierunt festinantes et viderunt vexillum Boamundi sursum in monte, celerique cursu properantes venerunt omnes, et per portas intraverunt in urbem, et interfecerunt Turcos et Saracenos quos ibi repperunt, extra illos qui fugerant sursum in castrum; alii vero Turcorum per portas exierunt et, fugientes, vivi evaserunt.

Cassianus vero, dominus illorum, dedit se omnimodo fugae cum aliis multis qui erant cum eo et fugiendo pervenit in Tancredi terram, non longe a civitate. Fatigati vero erant equi eorum miseruntque se in quoddam casale, et mersi sunt in unam domum. Cognoverunt ergo eum habitatores illius montanae, scilicet Surani et Hermenii, et confestim apprehenderunt eum truncaveruntque caput illius et tulerunt ante Boamundi praesentiam, ut inde mererentur libertatem accipere. Balteum quoque eius et vaginam appreciaverunt LX bizantiis.

Hec omnia gesta sunt III-a die intrante mense iunio, V-a feria, III-a nonas iunii. Omnes namque plateae civitatis iam undique erant plenae cadaveribus mortuorum, ita ut nemo posset ibi esse prae nimis foetoribus; nullus vero poterat ire per semitam civitatis nisi super cadavera mortuorum.

## XI.

### Rogierius de Hoveden. Chronicon <sup>1</sup>.

Eodem anno (1187) Saladinus, rex Babiloniae, cum immensa Turcarum suorum multitudine, ex occasione dissensionis quae fuit inter regem et comitem Tripolis, venit in terram ierosolimitanam. Contra quem venerunt fratres Templi et Hospitalis, cum copiosa plebis multitudine. Et, facta inter illos congressione, praevaluit paganorum exercitus adversus christianos, christiani autem in fugam sunt conversi, ex quibus multi sunt interfecti et multi capti. Et eodem die, videlicet kalendis maii, sexaginta fratres Templi et summus magister domus Hospitalis, cum pluribus domus suae fratribus, interfecti sunt.

<sup>1</sup> II. *Rerum britannicarum medii aevi scriptores.*

Saladinus igitur, summa potitus victoria, castella, civitates et munitiones christianorum quamplures invasit et cepit, et, deinde regressus in regionem suam, magnum congregavit exercitum, et, ut dicitur, per consilium comitis Tripolis, qui erat inimicus regis, intravit terram ierosolimitanam die veneris proxima post festum apostolorum Petri et Pauli, cum octingentis millibus militum, et eo amplius, et cepit Thabariam, excepta castrorum munitione, in qua se domina loci cum paucis militibus receperat. Quae cum nunciata essent regi, de consilio comitis Tripolis, qui nuper secum foedera pacis fraudulenter inierat, rex processit versus Thabariam per unam diem. Deinceps comes Tripolis, dux et praevius itineris, totum exercitum in eminentem locum et saxosum constituit. Ibi vero imminentibus hostibus, undique necessitate compulsus, rex, de baronum consilio, bellum committere dignum ducit, et ad eorum instantiam magistro et militibus Templi primos ictus concessit. Ergo militia Templi, sicut leo fortis in hostes concurrens, partem stravit partemque fugavit. Caeteri vero, regio spreto mandato, non processerunt ad pugnam, nec ulium eis praestavere succursum; unde Templi milites retenti et trucidati sunt. Postmodum Saladini exercitus christianorum exercitum, laborioso itinere confectum et nimio caloris aestu praegravatum, aqua omnino deficiente, partim igne circumdedit.

Tunc sex ex militibus regis, scilicet Baldewinus de Fortuna et Raimundus Buccus et Laodicius de Thabaria, cum aliis tribus sociis, diabolico spiritu arrepti, ad Saladinum confugerunt et, sponte Sarraceni facti, de omni esse et proposito et continentiis christianorum eum intruxerunt. Saladinus vero, qui de discrimine belli antea anxius dubitabat, resumpsit vires et cum tubis et infinita multitudine bellatorum in christianos, qui propter loca saxosa et invia pugnare non poterant, assultum fecit et eos omni genere pugnandi impugnavit, et expugnavit. Tandem Thekedinus, nepos Saladini, Gwidonem regem Ierusalem, fugam arripientem, et crucem dominici ligni cepit, interfecto Ruffino episcopo de Accon, qui eam portavit, et hoc digno Dei iudicio. Ipse enim, contra consuetudinem praedecessorum suorum, maiorem fiduciam habens in armis terrenis quam in coelestibus, processit ad pugnam loricatorum. Qui mox, ictu sagittae perforatus, interiit. Caeteri omnes fere confracti, capti, trucidati et vinculis manci-



pati sunt, ab ipsis Parthis, proh dolor!, campo omnino superato. Sed solus comes Tripolis, prodicionis huius conscius, cum suis evasit illaesus. Statim vero Saladinus militiae Templi et Hospitalis milites segregari fecit ab aliis et coram se decapitari, et ipse principem Raimundum de Castellione propria sua manu interfecit. Deinde civitatem Accon cepit et adiacentia loca et munitiones fere omnes de partibus illis.

## XII.

### Geoffroi de Vallehardouin, Conquête de Constantinople<sup>1</sup>.

Or oïez les miracles Nostre Seignor, com eles sont beles tot partot là où li plaist. Cele nuit domaignement, l'empereeres Alexis de Costantinoble prist de son tresor ce qu'il en pot porter et mena de ses gens avec lui qui aler s'en voldrent; si s'enfui et laissa la cité. Et cil de la vile remestrent mult esbahi et traistrent à la prison où l'empereiere Sorsac estoit, qui avoit les ialz traiz. Si le vestent emperialment; si l'emporterent èt halt palais de Blacquerne et l'asistrent en la halte chaiere, et li obeirent come lor seignor. Et dont pristrent messages par le conseil l'empereor Sursac, et envoierent à l'ost; et manderent le fil l'empereor Sursac et les barons que l'empereres Alexis s'en ere fuiz et si avoient relevé à empereor l'empereor Sursac.

Quant li valez le sot, si manda le marchis Boniface de Monferat, et li marchis manda les barons par l'ost. Et, quant il furent assamblé al paveillon le fil l'empereor Sursac, si lor conte ceste novele. Et, quant il l'oïrent, de la joie qu'il orent, ne convient mie à parler, que onques plus granz joie ne fu faite el monde. Et mult fu Nostre Sire loez pitousement par as toz de ce que en si petit de terme les ot securuz, et, de si bas con il estoient, les ot mis al desore. Et por ce puet-on bien dire: „Qui Diex vielt aidier, nuls hom ne li puet nuire“.

Lors comença à ajorner, et l'ouz se comença à armer. Si s'armerent tuit par l'ost, porce que il ne creoient mie bien les Grex. Et message comencent à issir, dui ou troi ensemble, et content ces noveles meismes. Li consels as

<sup>1</sup> Éd. Natalis de Vailly, Paris, 1874, pp. 82-104.

barons et as contes fu tels, et cel al duc de Venise, que il envoieroient messaiges laienz savoir coment li affaires i estoit et, se ce estoit voirs que on lor avoit dit, que on requerroit le père que il asseurast al telx convenances con li filz avoit faites, ou il ne lairoient mie entrer le fil en la vile. Eslit furent li message: si en fu li uns Mahius de Monmorenci, et Geffrois li mareschus de Champagne fu li autres, et dui Venitien de par le duc de Venise.

Ensi furent li message conduit tresqu'à la porte, et on lor ovri la porte, et descendirent à pié Et li Grifon orent mis d'Englois et de Danois à totes les haches à la porte, très ci que al palais de Blaquerne. Einsint les amènerent dès ci au haut palais: là trovèrent l'empereor Sursac, si richement vestu que por noient demandast-on home plus richement vestu, et l'empereriz sa fame dejuste lui, qui ère mult bele dame, suer le roi de Ongrie. Des autres hauz homes et des haltes dames i avoit tant que on n'i pooit son pié torner, si richement acesmées que eles ne pooient plus. Et tuit cil qui avoient esté le jor devant contre lui, estoient cel jor tot à sa volenté.

## XIII.

Joinville, Histoire de Saint Louis <sup>1</sup>.

Or vous dirai comment le roy fu pris, ainsi comme il meisme le me conta. Il me dit que il avait lessié la seue bataille et s'estoit mis entre li et monseigneur Geffroy de Sargines, et en la bataille monseigneur Gautier de Chasteillon, qui fesoit l'arrière-garde. Et me conta le roy que il estoit monté sur un petit roncín, une houce de soye vestue, et dit que d'arrière li ne demoura de touz chevaliers ne de touz serjans que monseigneur Geffroy de Sargines, lequel amena le roy jusques à Quazel, là où le roy fu pris, en tel manière que li roys me conta que monseigneur Geffroy de Sargines le deffendoit des Sarrazins, aussi comme le bon vallet deffend le hanap son seigneur des mouches, car, toutes les foiz que les Sarrazins l'aprochoient, il prenoit son espié, que il avoit mis entre li et l'arçon de sa selle, et le metoit desous s'essele, et leur recouroit sus et les chassoit ensus du roy. Et

<sup>1</sup> Éd. François Michel, Paris, 1859, pp. 94-95.



ainsi mena le roy jusques à Kasel, et le descendirent en une mèsou, et le coucherent ou giron d'une bourjoise de Paris aussi comme tout mort, et cuidoiēt que il ne deust jà veoir le soir.

Illec vint monseigneur Phelippe de Monfort, et dit au roy que il veoit l'amiral à qui il avoit traité de la trêve; que, se il vouloit, il iroit à li pour la treuve refaire en la manière que les Sarrazins vouloient. Le roy li pria que il y alast, et que il le vouloit bien. Il ala au Sarrazin, et le Sarrazin avoit ostée sa touaille de sa teste, et osta son anel de son doy, pour asseurer que il tenroit la trêve. Dedans ce, avint une si grant meschéance à nostre gent, que un traître serjant, qui avoit à nom Marcel, commença à crier à nostre gent: „Seigneurs chevaliers, rendés-vous, que li roys vous le mande; et ne faites pas occire le roy“.

Touz cuidèrent que le roy leur eust mandé, et rendirent leur espées aus Sarrazins. L'amiraut vit que les Sarrazins amenoient nostre gent prins. L'amiraut dit à monseigneur Phelippe que il n'aferoit pas que il donnast à nostre gent trêves, car il veoit bien que il estoient pris. Or avint ainsi que monseigneur Phelippe que toute nostre gent estoient pris, et il ne le fu pas, pour ce que il estoit message. Or a une autre mauvèse manière ou païs en la païennime, que, quant le roy envoie ses message au soudanc, ou le soudanc au roy, et le roy meurt ou le soudanc avant que les messages revieingnent, les messages sont prisons et esclaves, de quelque part que il soient, ou crestiens ou Sarrazins.

Quant celle mescheance avint à nos gens, que il furent pris à terre, aussi avint à nous, qui fumes prins en l'yaue, ainsi comme vous orrez ci-après. Car le vent nous vint devers Damiete, qui nous toli le courant de l'yaue, et les chevaliers que le roy avoit mis en ses courciers pour nos malades deffendre s'enfouirent. Nos mariniers perdirent le cours du flum et se mistre en une noe, dont il nous convint retourner arières vers les Sarrazins.

## XIV.

Andreas Dandulus, *Chronicon venetum* <sup>1</sup>.

Dux autem cum stolo non procul Constantinopolim tandem pervenit. Alexius autem, qui imperium occupa-

<sup>1</sup> Dans Muratori, *Rerum italicarum scriptores*, XII, c. 322.

verat, haec praeficiens, a loco Magnae usque Galatas catenam transponi, propugnaculis communitam, fecerat, quae ingressum penitus prohibebat. Mittit igitur dux solemniter Alexio imperatori ex parte sua et procerum Franciae praedictorum ut imperium, quod fraudulenter occupaverat, resignet puero, quem secum duxerant, cui debetur ex iure. Quo renuente, peritorum consilio paratur navis vocata „Aquila“, magna valde, quae, impulsione Venetorum, elevatis velis, appositam confregit catenam, et sic stolus libere portum introivit.

Tunc disponitur proelium. Graeci infra moenia civitatis se undique recipiunt. Diebus septem terra marique civitas expugnatur, et frequenti ac vario conflictu Latinis victoria obvenit. Octavo die imperator, egrediens cum XXX milibus equitum et innumerabili multitudine peditum ad dimicandum, contra Latinos acies ordinat. Sed proditor ille, cernens Latinorum constantiam, infra muros retrocedens, multis comminationibus pugnare in crastino asseverat. Sequenti tamen nocte latenter effugit. In crastino Latini urbem viriliter impugnant. Multi Gallorum, cum scalis per muros ascendentes, inter Graecos se audacter praecipitaverunt, et magnam stragem ediderunt. Dum autem pauciores comprimerentur, dux cum Venetis civitatem irrupit et, fremens animo, Gallis pugnantibus se adiunxit, et, cunctis acerrime pugnantibus, recalescentibus praecordiis, ac viribus saepius et saepius renovatis, hostes caedendo retrocedere cogunt. Et tandem, Graecis ex toto cedentibus, civitas capta est.

Capta civitate, pater adolescentis in palatio dominatur, extractus ex carcere. Adolescens etiam a Graecis in imperatorem eligitur. Mane facto, portae aperiuntur, Graeci inermes suum quaerunt electum, qui tam in ecclesia maiori, quam in palatio imperiali solemniter coronatur, et promissa, adepta imperio, sine mora Francis implevit, sed non aequae Venetis, ut in eorum continetur Historia. Francorum tamen Historia narrat ducenta millia marcharum data communiter Francis et Venetis. Rogant consequenter pater et filius Latinos ut secum tota hyeme proxima commorentur. Pacta de obedientia Romanae Ecclesiae et succursu Terrae Sanctae innovantur et confirmantur.



Matthaeus Parisiensis, Chronica maiora <sup>1</sup>.

Epistola cuiusdam episcopi ungarieusis ad episcopum pari[s]iensem.

De facto Tartareorum vobis rescribo quod ipsi venerant prope confinium Ungariae per quinque dietas, et venerunt ad aquam quae vocatur Deinphir, quam transire non poterant in aestate. Volentes autem expectare hyemem, miserunt ante se quosdam exploratores in Russyam; ex quibus capti fuerunt duo et missi domino regi Ungariae, quos ego habui in des[c]ensu meo; et ab ipsis didici nova quae vobis mando. Quaesivi ubi esset terra eorum, et dixerunt quod esset ultra quosdam montes, et sedet iuxta flumen quod vocatur Egog; et credo quod ille populus sit Gog et Magog. Quaesivi de fide, et, ut breviter dicam, nihil credunt. Et coeperunt dicere quod exierunt ad expugnandum mundum. Literas habent Iudaeorum, quia prius proprias literas non habuerunt. Quaesivi qui essent illi qui docent eos literas; dixerunt quod essent homines pallidi, qui multum ieiunant, vestes longas portant et nullos offendunt; et, quia multas circumstantias dixerunt de hominibus illis, quae concordant cum superstitionibus Pharisaeorum et Saducaeorum, credo illos esse Saducaeos vel Pharisaeos. Quaesivi utrum discernent cibos; dixerunt quod non: comedunt enim ranas, canes et serpentes, et omnia indifferenter. Quaesivi qualiter exierunt de montibus ultra quos fuerunt; dixerunt quod viginti dietis durat longitudo et latitudo ipsorum. Duodecim milia hominum semper sunt in equis, qui custodiunt exercitum. Equos bonos habent, sed stultos. Equi enim multi sequuntur eos absque ducatu, ita quod, si unus equitat, viginti vel triginta equi sequuntur ipsum. Loricas habent de coreis, et sunt fortiores quam de ferro, et similiter coopertoria equorum. Pedites nihil possunt, quia crura habent brevissima et corpus longum. Meliores sunt sagittarii quam Ungarii et Comanii, et fortiores arcus habent. Quocumque modo intrant terram, interficiunt habitatores terrae, praeter parvulos, quibus Zingiton <sup>2</sup>, qui est

<sup>1</sup> VI, pp. 75-6. — *Rerum britannicarum medii aevi scriptores*, London 1882.

<sup>2</sup> I. e.: Zingi-can.



dominus eorum, qui interpretatur : rex regum, signum suum imponit, comburendo in facie ipsorum. Quadraginta duo consilarii sunt quibus Zingiton sigillum suum committit. Nullus de toto exercitu audet [loqui] nisi alta voce, nullus de toto exercitu audet interrogare „quo vadit dominus noster, vel quid intendit facere“. Lac iumentorum bibunt, et multum inebriantur. Nova de ipsis certa audire non possumus, quia praecedunt eos quaedam gentes quae Mordani vocantur, qui interficiunt omnes homines indifferenter, et nullus de eis audet calciare pedes suos, donec interficiat hominem. Et per illos credo esse interfectos Praedicatorum et Fratres Minores, et alios nuntios quos miserat rex Ungariae ad explorandum. Sine dubietate devastaverunt omnes terras, et destruxerant quas invenerunt, usque ad aquam supradictam.

## XVI.

Jean Froissart, Chroniques <sup>1</sup>.

Il n'est nulz homs. tant fust presens à celle journée, ne euist bon loisir d'avisier et ymaginer toute la besongne ensi que elle ala, qui en seüst, ne peuüst imaginer la verité, especialment de la partie des François, tant y eut povre arroy et ordenance en leurs conrois. Et ce que j'en sçai, je le seuch le plus par les Englès, qui imaginèrent bien leur couvenant, et ossi par les gens monsieur Jehan de Haynau, qui fu toutdis dalès le roy de France. Li Englès, qui ordonné estoient en trois batailles et qui seoient jus à terre tout bellement, si tos que il veirent les François approcier, il se levèrent moult ordonneement, sans nul effroy, et se rengièrent en leurs batailles, ceste dou prince tout devant, mis leurs arciers à manière d'une herce, et les gens d'armes ou fons de leur bataille. Li contes de Norhantonne et li contes d'Arondiel et leur bataille, qui faisoient le seconde, se tenoient sus èle bien ordonneement et avisé et pourveu, pour conforter le prince, se il besongnoit. Vous devès savoir que cil seigneur, roy, duc, conte et baron françois ne vinrent mie jusque à là tous ensamble, mais l'un devant et l'autre derrière, sans arroy et ordonnance.

Quant li rois Phelippes vint jusques sus la place où li

<sup>1</sup> Éd. de la Société de l'histoire de France, III, pp. 174-179.



Englès estoient près de là arrêté et ordonné, et il les vei, se li mua li sans, car trop les haioit. Et ne se fust à ce donc nullement refrenés ne astrains d'yaus combatre, et dist à ses mareschaus: „Faites passer nos Genevois devant et commencer le bataille, ou nom de Dieu et de monseigneur Saint Denis!“. Là avoit de ces dis Genevois arbalestriers environ quinze mil, qui euissent ossi chier nient que commencer adonc le bataille, car il estoient durement lassé et travillié d'aler à piet plus de six liewes tout armé et de porter leurs arbalestres. Et disent adonc à leurs connestables que il n'estoient mies adonc ordonné pour nul grant exploit de bataille. Ces paroles volèrent jusques au conte d'Alençon, qui en fu durement couronciés et dist: „On se doit bien cargier de tel ribaudaille qui fallent au plus grant besoing!“.

Entrues que ces parolles couroient et que cil Genevois se recueilloient et se detrioient, descendi une plueve dou ciel, si grosse et si espesse que merveilles, et uns tonnoires et uns esclistres moult grans et moult horribles. En devant cette plueve, par dessus les batailles, tant d'un lès comme de l'autre, avoient volé si grant fuison de corbaus que sans nombre, et demené le plus grant tempès dou monde. Là disoient li aucun sage chevalier que c'estoit uns signes de grant bataille et de grand effusion de sanch. Apriès toutes ces coses, li airs se commença à esclarcir, et li solaus à luire biaux et clers: si l'avoient li François droit en l'oel, et li Englès par derrière.

Quant li Genevois furent tout recueilliet et mis ensamble et il deurent approcier leurs ennemis, il commencièrent à juper si très hault que ce fu merveilles; et le firent pour esbahir les Englès. Mès li Englès se tinrent tout quoi et ne firent nul samblant. Secondement, encores jupèrent ensi et puis alèrent un petit avant, et li Englès [restoient] tout quoi sans yaus mouvoir de leur pas. Tiercement, encores jupèrent il moult hault et moult cler, et passèrent avant, et tendirent leurs arbalestres, et commencièrent à traire. Et cil arcier d'Engleterre, quant il virent cette ordenance, passèrent un pas avant, et puis firent voler ces saiettes de grant façon, qui entrèrent et descendirent si ouniement sus ces Genevois que ce semblaît nège. Li Genevois, qui n'avoient point appris à trouver telz arciers que cil d'Engleterre, quant il sentirent ces

saiettes qui leur perçoient bras, tiestes et baulèvres, furent tantos desconfi. Et copèrent li pluseur d'yaus les cordes de leur ars, et li aucun les jettoient jus; si se misent ensi au retour.

Entre yaus et les Englès avoit une grande haie de gens d'armes, montés et parés moult richement, qui regardoient le couvenant des Genevois et comment il assembloient: si ques, quant il cuidièrent retourner, il ne peurent. Car li rois de France, par grant mautalent, quant il vei leur povre arroy et que il se desconfisoient, ensi commanda et dist: „Or tos, or tos, tués toute ceste ribaudaille; il nous ensonnient et tiennent le voie sans raison“. Là veissiés gens d'armes entoueuilliés entre yaus ferir et fraper sus yaus, et les plusieurs trebuchier et cheir parmi yaus, qui onques puis ne relevèrent. Et toutdis traioient li Englès efforcierement en le plus grant presse, qui riens ne perdoient de leur tret, car il empalloient et feroient parmi le corps ou parmi membres chevaus et gens d'armes, qui là cheoient et trebuchoient en grant meschief et ne pooient estre relevé, se ce n'estoit à force et par grant ayde de gens. Ensi se commença li bataille, entre la Broie et Creci en Pontieu, ce samedi, à heure de vespres.

Li vaillans et gentilz rois de Behagne, qui s'appelloit messires Charles de Lussembourch, car il fu filz à l'empereur Henri de Lussembourch, entendu par ses gens que la bataille estoit commencié; car, quoique il fust là armés et en grant arroy, il ne veoit goutes et estoit aveules. Si demanda as chevaliers qui dalès lui estoient comment li ordenance de leurs gens se portoit. Chil l'en recordèrent le verité et li disent: „Ensi et ensi est. Tout premiers les Genevois sont desconfi, et a commandé li rois de France à yaus tous tuer. Et toutes fois entre nos gens et eulz a si grant tueil que merveilles, car il cheent et trebuchent l'un sur l'autre, et nous empecent trop grandement.“ — „Ha!“ , respondit li rois de Behagne, „c'est uns povres commencemens pour nous“. Lors demanda il apriès le roy d'Alemagne, son fil, et dist: „Où est messires Charles, mes filz?“ . Chil respondirent qui l'entendirent: „Monsigneur, nous ne savons. Nous creons bien qu'il soit d'autre part et qu'il se combate“.

Adonc dist li vaillans rois à ses gens une grant vaillandise: „Signeur, vous estes mi homme et mi ami et mi



